



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annotationes Ioannis Bugenhagij Pomerani in decem epistolas Pauli**

**Bugenhagen, Johannes**

**Basileae, 1524**

**VD16 B 9232**

Capvt V.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36165**

IN EPI. PAULI AD THES. I. 59

Et Matth. 24. Signum siue uexillum filij hominis in  
 caelo, exercitum multum et maiestatem. Hunc uero  
 hortatum, et uocem archangeli, et tubam dei, intel-  
 ligo uocem filij dei, cuius uerbo et potetia mortui re-  
 surgent, et conformabuntur corpora nostra nunc uilia  
 corpori claritatis suae, sicut dicitur ad Philip. 3. Sic  
 enim ipse ait Ioan. 5. Venit hora, in qua omnes qui in  
 monumento sunt, audient uocem filij dei, etc.

CAPVT V.

**D**ie domini ubique scriptura dicit inopinante uen-  
 turum, quem incertum uoluit esse, ut semper es-  
 semus parati in occursum eius, Lu. 12. Sicut incertus  
 est dies obitus nostri, in quo uenit dominus ad singu-  
 los, sic tunc ad omnes uenturus est: et sicut in obitu in-  
 uenimur, ita seruamur usque ad diem illum. Sicut audi-  
 stis supra, qui dormierunt per Iesum, adducendos cum  
 Iesu per deum. Et cum supra nihil dixerit de resurre-  
 ctione impiorum, hic dicit repentinum eis superuen-  
 turum interitum, et dolorem non interiturum. Sicut  
 et Prouerb. 1. dicitur, Veniet autem talia super eos,  
 dum maxime securi sunt: sicut dominus dicit Matth.  
 24. Sicut in diebus Noe etc. Sicut et diuiti auaro con-  
 tigit, cui dictum est Lu. 12. Stulte, hac nocte repetent  
 animam, etc. et haec contingent eis, quia tenebrarum  
 filij et noctis, lucem ignorant Christi: et idcirco dor-

ANNOT. IOANNIS POMERANI

miunt non expectantes, trementes ebrietate, & corporis crapula, dominum: sicut uides Lu. 12. de malo seruo, & Matth. 24. Christiani uero uigilant, & sobrie uiuunt: quia dei & lucis sunt filij, qui audiunt ad Rhomanos 12. Hora est iam nos de somno surgere, &c. Dormire hic uocat negligere, & ignorare dominum: sicut & in parabola euangelica, id quod sequitur ex inebriatione, quam intelligere licet curas & sollicitudines, diuitias & uoluptates huius uitæ, ut uides, Luc. 8. Nisi quod etiam crapula & ebrietas, que iam ultra modum præualuerunt, per se faciunt ut illa dies non præuideatur, sicut docet Christus Lu. 21. Attendite uobis, ne forte grauentur, &c. Contraria uero horum uocat uigilare & sobrios esse, &c.

Induti thoracem, &c.

De his armis iustitiæ lege quoq; Ephc. 6. Tribus armis hic nos instruit contra regnum tenebrarum, fide, spe, charitate. Fidē & charitatem in pectore collocat, quia nisi illic sint, nō sunt quod adpellantur. Spem uero in capite, quia à deo superius expectat quod cor de credimus, &c. Sic uero armatos, tutos & securos esse oportere ostendit, dicens: Quoniam non constituit, &c. Constitutionem dei necesse est non perire. Speremus ergo per Christū salutem, quia deus sic cōstituit absq; nostris meritis. & ut nihil dubitarem, aut de satisfactione solliciti essemus, Christus mortuus est

Arma  
iustitiæ  
Eph. 6

IN EPI. PAULI AD THES. I. 60

pro nobis, & mortem nostram occidit, ut in ipso, & cum ipso uiuamus, nostra uita abnegata.

**Siue uigilemus siue dormiamus.**

Id est semper, ut cūq; acciderit nobis, siue per uitā, siue per mortem. Aliter enim hic uigilare & dormire ponitur quā supra, id quod per se notum est, ut maxime non dicerē. Christianorū uita, siue dormiāt siue uigilent, siue edant siue bibant, &c. semper Christi uita est, dum omnia in gloriam dei faciunt, 1. ad Corin. 10.

*Vita  
Chris  
uigilanti*

**Quapropter adhortemini uos.**

Quaedam specialius post generalē admonitionē docet. Primū, ut se mutuō edificent, ad Ephe. 4. Omnis sermo spurcus, etc. Secundū, ut præpositos uenerētur per charitatē: id est, ut præter uenerationē, etiā necessaria eis ministrēt, et pacē habeant cum eis: ut sicut ad Heb. 13. dicitur, cū gaudio pro animabus eorū uigilet, & nō gemētēs. Sunt autē præpositi (ne quis etiā noīe tumeat) qui, ut Paulus dicit, laborāt iter eos, qui præsunt, sed in domino, qui admonēt eos, id est (ut alibi dicit) q̄ laborāt in uerbo: qui duplici honore digni sunt, non propter titulum, sed (ut inquit) propter opus illorum. Tertio q̄ uelit mutuam edificationem, subiūgit: *ob/corū mōtū*

*præpositi*

**Consolamini pusillanimes.**

Pusillanimes sunt, qui in multis adhuc trepidant, timentes ne quid de futurum sit corpori, uel ne non satis



ANNOT. IOANNIS POMERANI  
magno animo perstituri sint in aduersis. p. euangelio.

Videte ne quis malum.

Hoc non est vim ui repellere licere.

Hæc enim est uoluntas, &c.

Concludit talia placere deo per Christum, ne pute-  
mus reijcienda, uelut humanas admonitiones. Supra  
dixit, Hæc est uoluntas dei sanctificatio uestra.

Spiritum ne extinguatis,

Spiritum uocat dona spiritus, per quem alij datur  
sermo sapientiæ, alij scientiæ, alij genera linguarum.  
1. ad Corin. 12. qui talia dona habet, utatur, sed (ut il-  
lic dicitur) ad utilitatem ecclesiæ. Alij uero non pro-  
hibeant talia, sed sinant quæquam ferri suo spiritu, mo-  
do Christiano: sinant quenquam suã se qui uocatione.  
Sic & 1. ad Corin. 14. Loqui linguis nolite prohi-  
bere. Addit uero, Prophetias ne aspernemini, id est in-  
terpretationes diuinæ scripturæ & declarationes fi-  
dei: sicut ibidem dicit Paulus: Qui prophetat, homini-  
bus loquitur edificationem, & exhortatione, & con-  
solatione. Quod donum spiritus sancti inter alia ma-  
uult Paulus ibidem dicens: Sequitur uobis charitate, amu-  
lemini spiritualia, magis tamẽ ut prophetetis, etc. Ne  
uero sine iudicio quodcũq; suscipiamus, addit: Omnia  
probate &c. et Christus, Attẽdite à falsis prophetis.  
Item, Attẽdite à fermento &c. 1. Ioan. 4. Nolite o-  
mini

prophetas

IN EPI. PAULI AD THES. I. 61

omni spiritui &c. Multi enim confitentes Christum, negant Christi uirtutem, hoc scilicet, est Christum non esse Christum: hi sunt antichristi, de quibus 1. Ioan. 2.

Ab omni specie mala.

Non solum à malo, sed etiam ab omni specie mala abstinendum docet. Hoc est contra scandalizatores illos, qui nulla ratione paruulorum, id est illorum qui adhuc non satis instructi sunt fide, ducuntur. contra quos scribit Paulus ad Rhom. 14. 1. ad Corinth. 8. & Christus docet satis horrède, Matth. 18. & aliàs. Verum hic memineritis aliud esse scandalum paruulorum, aliud phariseorum. De isto dicit Christus Matth. 15. Sinite illos, &c. ut qui scandalizantur in uerbo Euangelij, ut qui scandalizantur in re, quam citra periculum salutis uitare non possunt, &c.

Scandalum paruulorum  
phariseorum

Deus pacis sanctificet uos  
per omnia.

Deum pacis adpellat. sine quo sunt perturbata omnia. Nemo enim pacem conscientie consequitur, nisi qui credit à deo sibi per Christum peccata dimissa. Verum hanc fidem solus deus dat, tua studia hic nihil sunt: tantum accipe quod tibi offertur, adferre nihil potes. Est ergo deus pacis, sicuti in Psal. dicitur, deus iustitiae, &c. id est iustificator. Hic, inquit, sanctificet uos, huius muneris est ut sancti sitis, non uestri conatus: tantum ora-

ANNOT. IOANNIS POMERANI  
te, &c. Petite, inquit Christus, & accipietis, &c.

Et integer,

Id est absq; corruptione. In græco ὁλόκληρος, id est totam hereditatem possidens: hoc est ut nihil uobis desit. Exponit enim quod dixerat, uos totos. Scri-

In magni ptura hominem in tres diuidit partes, quarum summa  
cat, tractat & nobilissima est spiritus, quo comprehendit incom-  
hūc locum prehensibilia per naturam, si deus illic illuminauerit.

Lutherus. Aliud enim illic lumen non est, sine quo in meris est te  
nebris & ignorantia. Sunt autem hæc incomprehen-  
sibilia, quæ inuisibilia & aeterna sunt. Atq; hic est do-  
mīciliū fidei, & habitaculū uerbi dei. Altera est ani-  
ma, per naturam quidē non separata à spiritu, sed per  
opus, quod est animare corpus, & uegetare, hinc &  
nomen habet. Hic lumen est ratio, quæ non potest non  
errare, ubi spiritus fide nō est illuminatus. Est enim sa-  
pientia humana: & ut Paulus uocat, animalis homo,  
qui non percipit ea quæ sunt dei. Tertia est corpus cū  
suis membris, de cuius sanctificatione supra quoq; di-  
ctum. Integro autem spiritu, id est ubi plena fides est,  
facile et anima, id est tota uita et corpus integra erūt:  
spiritu uero dissentiente à deo, & aliam iustitiam quæ-  
rente (sic in Psal. de incredulo populo dicitur: Non  
est creditus in deo spiritus eius) nihil non dissidet secū  
in homine, & pax conscientiæ inueniri uerè in nulla  
re potest. Vides igitur, quare Paulus totius hominis

tres hoīs  
partes

2

3

sanctificationem à deo, qui deus pacis est, fieri postulet: totius inquam hominis, ut in nullo possit culpari, non dico coram hominibus, sed ne in aduentu quidem Christi.

Fidelis est qui uocauit uos.

Magnæ consolationis uerbum adstrictis consciētis, & adhuc trepidis. Non potest non seruare fidem deus, quam promisit. Qui uocauit nos, id est aperuit nobis suum euangelium, hoc est cœpit nostram salutem: & idem efficiet, id est complebit quod cœpit: sicut tu non potuisti incipere salutem tuam, sed assumptus es, quando adhuc eras impius, ut dicitur ad Rhom. 5. Sic nec perficere poteris, alioqui dudum rursus periisset salus tua, si esset in manu tua, & non in omnipotenti manu dei patris nostri per Christum. Hæc sic dicuntur ad Philip. 1. Is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet usq; ad diem Iesu Christi. & capi. 2. Nam deus est is, qui agit in uobis, & ut uelit, & ut efficiatis, pro bona sua uoluntate. Hæc omnia, qui ad euangelij cognitionem uocati sumus, & didicimus uere Christū, sperare certe ex deo debemus: quia fidelis est, sicut & I. ad Corinthios 10. dicitur: Fidelis deus est, qui non patietur, &c.

Qui credunt euangelio, hi sciunt se uocatos esse.

F I N I S.